CORPVS MEDICORVM LATINORVM

EDITVM

CONSILIO ET AVCTORITATE INSTITVTI PVSCHMANNIANI LIPSIENSIS

VOL. VIII 1

ANTHIMI

DE OBSERVATIONE CIBORVM AD THEODORICVM REGEM FRANCORVM EPISTVLA

RECENSVIT

EDVARDVS LIECHTENHAN

MCMXXVIII
LIPSIAE ET BEROLINI IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI

CAROLO SVDHOFF
MAXIMILIANO NIEDERMANN
FAVTORIBVS STVDIORVM

HOC OPVSCVLVM
DEDICAT AVCTOR

AD LECTOREM PRAEFATIO

De Anthimo medico eiusque epistula, quam de obseruatione ciborum scripsit ad Theodoricum regem Francorum, primus Mauritius Haupt egit a. d. IX Kal. Nov. anni 1867 in conuentu Academiae Berolinensis, legens dissertationem quam inscripserat „Über eine Diätetik des sechsten Jahrhunderts“.[1]) Valde dolendum est, quod ille uir doctissimus nunquam hanc dissertationem publici iuris fecit, eo magis, quod Valentinus Rose, qui paulo post omnia, quae Hauptius ad Anthimi epistulam pertinentia collegisset, ab illo se accepisse profitetur[2]), modestia adductus, ne res ab Hauptio inuestigatas quasi suas aut ante illum publici iuris faceret, multa tacuisse uidetur. Quam multa certe, quae ille princeps philologorum ex suo more ingeniose ac subtiliter obseruauerat et coniecerat, perdita sunt!

Anno 1870 Anthimi epistulae editio princeps curante Valentino Rose prodiit in secundo fasciculo anecdotorum Graecorum et Graeco-Latinorum p. 41 sqq.; iterum apud Teubnerum anno 1877 idem Anthimum edidit. De his editionibus et Valentini Rose recensione infra agemus; hoc loco breuiter referamus, quae ille de auctore ipso atque de eius uita et opere inuestigauerit.

Dum inter Zenonem imperatorem Byzantinum et Theodoricum Triarii filium de foedere ineundo agitur, Anthimus quidam medicus, ut narrat Malchus rerum scriptor[3]), una cum duobus aliis uiris per epistulam Gothum de rebus certiorem facere conatus est, quae Constantinopoli agebantur, dicens in urbe esse qui ei fauerent. Quibus litteris interceptis Anthimus ille patria pulsus est. Vix dubium est, quin medicus ad Gothos confugerit et Theodorico Triarii filio mortuo alterum illum Theodoricum, cui Magni cognomen est inditum, in Italiam sit secutus, ubi non solum magno in honore uiuebat, sed etiam legatus ad alios reges missus est. Auctor enim noster ille medicus Byzantinus esse uidetur; nam Graecum eum fuisse cum nomen tum ipsius testimonium affirmat, cum dicat *opus, quod nos Graece dicimus alfita* (p. 24, 1); apud Gothos autem eum uixisse documento est idem locus, ubi Gothicum nomen eiusdem rei *fenea* affert. Quae autem causa uiro legatario fuisse potest epistulae ad regem Francorum

1) Monatsberichte der k. preuß. Akademie der Wissenschaften 1867, p. 673.
2) Anecdota p. 43.
3) Hist. Graec. min. I p. 400 Dind.

scribendae nisi quod legatus apud eum versatus erat? Quodsi haec omnia bene coniecit Rose, apparet haud dubie opusculum Anthimi scriptum esse post annum 511, quo Theodoricus Francus Chlodwigi filius regnum iniit. Quod uero Rose Anthimum in Italia superiore linguam Latinam didicisse ex eo apparere dicit, quod saepius uerbis *nam non* pro *sed non* utatur (anecd. p. 46), id, quamquam in re ipsa plane ei assentior, nullius momenti mihi esse uidetur, cum nostris diebus sciamus illam formulam non esse peculiarem Italiae.[1])

De fontibus ac testimoniis Rose anecd. p. 50 tractauit neque quicquam noui habeo quod addam; itaque ad illius dissertationem lectorem relegare licet; id tantum commemoro, de fontibus nihil certi adfirmari posse, etsi noster saepius auctores laudat.[2]) E numero et codicum et locorum interpolatorum patet saepissime auctorem lectum esse.

Etsi non mirum est nos in recensione alia usos esse ratione atque Rose, tamen ei opprobrio dare iustum non est, quod saepissime, quae sunt sermonis uulgaris quem dicunt, librariis attribuit et in sermonem aetatis anterioris, ne dicam auctorum classicorum, uertit, quamuis iam ipse in praefatione secundae suae editionis haud raro se haesitauisse confiteatur, 'quomodo inter natiuuam auctoris barbariem fortuitamque scriptorum et adiectam recte dignoscatur'. Plurimas enim uiri docti ab illo tempore usque ad hunc diem obseruationes contulerunt. Pauca illius rei exempla afferamus (nostram lectionem Rosii lectioni opponemus uariis lectionibus codicum omissis):

p. 1, 13: *escotomaticis* ego; *scotomaticis* Ro.
p. 2, 18: *si necessitas exierit* ego; *si necessitas exegerit* Ro.
p. 5, 16: *ueruicinas carnes . . . aptae sunt* ego; *ueruecinae carnes* Ro.
p. 7, 12: *sic coquat in uas fictile* ego; *sic coquatur in uaso fictili* Ro.
p. 11, 6: *graticula* ego; *craticula* Ro.
p. 13, 3: *cui delectat* ego; *qui delectatur* Ro.
p. 20, 8: *fleumatica* ego; *flegmatica* Ro.
p. 20, 10: *illud quod in giro pendet sublatum* ego; *illo quod in gyro pendet sublato* Ro.
p. 20, 11: *alterum uenenum opus non habet* ego; *altero ueneno opus non habet* Ro.
p. 28, 6 sqq.: *ut in praesentia sua aut uacca aut capra aut ouis mulgatur ita, ut uas illud fictile sit et bene scaldetur, ut, quomodo mulgitur, non refrigeret, sed calidum bibatur* ego; *et in praesentia sua uacca aut capra aut ouis mulgeatur, ita ut uas illi fictile sit et bene excaldetur, ut quomodo mulgetur non refrigeretur sed calidum bibatur* Ro.

At non solum locos a communi grammaticorum norma recedentes contra auctoritatem meliorum codicum commutauit, sed etiam haud

1) Vide e. gr. Löfstedt, Philolog. Kommentar z. Peregrinatio Aetheriae p. 34.
2) 10, 15. 12, 8. 13, 10. 14, 9. 17, 13. 22, 13. 29, 5. 8.

raro in emendandis locis secutus est librorum deteriorum lectionem faciliorem, ubi lectio reconditior praeferenda erat, praesertim cum in codicibus fide dignis inueniretur.

Nullo modo quae supra dixi ita intellegi uelim, quasi ipse nunquam dubitauerim, quid sit auctori attribuendum, quid librariis, neque unquam errauisse mihi uidear; superuacaneum est hic eius rei exempla commemorare, cum inter uiros doctos, praecipue inter eos, qui eius generis auctores legunt latinitatique eorum obseruandae operam dant, nemo sit, qui annotationes criticas diligentissime adhibendas esse nesciat.

De Valentini Rose editione agens A. Eberhardt, Jenaer Litteraturzeitung 1878 p. 379 nonnulla ad recensionem utilia attulit et Rosium parum accurate indici componendo operam dedisse demonstrat.

Anno 1924 prodiit dissertatio inauguralis a Shirley Howard Weber conscripta[1]), quae ad recensendum textum non multum adfert noui; ecce enim quam secutus est rationem auctor: „I have thought it advisable to present a full text of G as it stands, making no attempt at emendations, except to suggest the correct reading in the notes and commentary. Textual emendation with a text like Anthimus is, at the best, futile."

W. Baehrens, Berl. philologische Wochenschrift 1926 col. 849 sqq. de Weberi dissertatione tractans iure uituperat auctorem praeter Sangallensem G codices non legisse, sed ex annotatione Rosii uarias lectiones transscripsisse cum erroribus. Cuius rei unum exemplum afferamus: Weber dicit codicem l p. 17, 9 *in mensa* pro *inpisa* habere; Rose duas lectiones huius codicis affert; ex anecdotis apparet *in mensa* esse lectionem codicis p. Baehrens collationibus Alfredi Holderi usus emendationes nonnullas proposuit, quarum alteras in textum recepi, alteras in annotationibus commemoravi.

Anthimi epistula quatenus ad explanandam historiam artis medicae usui esset demonstrauit Julius Uffelmann, Deutsche medizinische Wochenschrift VII (1881) p. 213—218.

De uocibus Germanicis quae leguntur apud Anthimum egit Fr. Kluge, Grundriß der germanischen Philologie I² p. 332.

Anno 1926 dissertatio Amstelodami prodiit: Lexicon Anthimeum a Nardo Groen compositum. quo opusculo diligenter ex editione Rosiana omnes locos collegit auctor, tamen Rosii annotationes criticas, quod ualde dolendum est, neglexit.

Iam ad descriptionem singulorum librorum manuscriptorum transeamus.

---

1) Anthimus, De obseruatio ciborum. Text, commentary and glossary, with a study of the latinity. A dissertation presented to the Faculty of Princeton University; Late E. J. Brill Ltd., Leiden 1924. — Cur auctor dissertationis scripserit 'de obseruatio' pro 'de observatione', reperire non possum; nullus enim liber manuscriptus 'obseruatio' praebet.

G Cum codicem Sangallensem 762 saeculo IX scriptum iam Rose maximae fidei esse perspexerit atque de eo tractauerit anecdot. p. 57, non multa mihi addenda esse uidentur nisi hoc unum Rosium non satis huic libro confisum esse, cum multa, quae ad natiuam barbariem pertinent, librario esse attribuenda putaret. Haud raro rasurae et correctiones partim primae partim secundae manus inueniuntur; quae prima manu mihi correcta esse uidebantur sigla G^c, quae secunda, G^2 in annotationibus designaui. — In solo codice G suum quodque caput titulum cum numero habet, quod tamen Anthimum non ipsum apposuisse ex hisce colligo: primum quod solus, ut dixi, G numeros et omnium capitum titulos habet, cum tituli, qui in codd. l et P ad nonnulla capita adscripti occurrunt magna ex parte cum codice G non congruant, in reliquis autem libris numeri omnino non inueniantur. Praeterea in G cap. LXXXVI De cerasia incipit: *Cerasia aut diuersa alia genera pomorum* . . ., cum reliqui omnes uerborum continuatione non intermissa *uel cerasia* scribant. Verisimile est scriptorem codicis G inde a uerbo *cerasia* nouum caput coepisse; cum autem intellexisset sequentium capitum numeros cum libro quem describebat non iam congruere, numerum LXXXVIII iterasse (et ante *De ficas* et ante *De castania*). Tum etiam crebro titulis non omnia enumerantur, quae capita continent; ita capite L quod inscribitur *De malba* non solum de malua, sed etiam de beta et de porro agitur; cap. LV (*De apium*) tractatur de apio coriandro aneto porro; cap. LXXX sub uoce *De mela* de piro quoque agitur, nec certe auctor ipse caput, in quo de auetarda scribit, inscripsisset *De aue*. Similiter cap. XII agitur de carne insalata, tamen librarius prima uerba capitis repetens rubrica adscripsit *De carnis uaccinae*, cum iam caput III de carnibus uaccinis tractaret. Maxime autem ad eam opinionem me adduxit, quod in titulis librarius saepius praepositione cum nominatiuo coniuncta utitur *(XXI De carnis uaccinae. XXIX De columbe. XLIII De anguile. LI De lactuce. LXII De cepe. LXIV De tisane. LXXII De lupini. XCII De dactali.)*, quod apud Anthimum non ocurrit.[1])

Codicem S. Galli 762 Basileam officiosissime missum descripsi et iterum magna ex parte in bibliotheca Sangallensi cum annotationibus meis contuli.

A Codex Londiniensis (Ayscough) 3107 chartaceus A etsi saeculi XVII est, tamen non multo minore dignus est fide quam G, quia ex uetusto codice deperdito saeculi IX, ut arbitratur Rose, accuratissime est descriptus non solum quod ipsum textum attinet, sed etiam litterarum formas, quas imitatus est librarius inde a uerbis *fuerint cocti* p. 1, 10., postquam antea ab initio suo ipsius solito ductu litterarum usus est excepta inscriptione, quam maiusculis litteris scripsit. In margine priorum maxime paginarum et coniecturae et annotationes adiec-

---

1) De locis interpolatis codicis G agitur infra p. XVII in annotatione.

tae sunt, altera manu, quae eadem iuxta titulum adscripsit *Ex ueteri membrana Supantis Bisontini.* Nonnulla, quae illi lectori ad auctoris uitam aut ad mores illorum temporum explanandos aliquid afferre uidebantur, lineolis notata sunt. Ad p. 24, 1 in margine grandibus litteris adscripsit *NOS GRAECI.* Inter folia 7 et 10 duo folia minora interesse uidentur, in quibus notae manu recentioris aeui scriptae leguntur de Anthemio imperatore, genero Marciani, socero Ricimeri, mortuo a. d. V. Id. Iul. 472, quem falso doctus quidam lector eundem ac nostrum esse putauit.

Quamuis lectiones libri A saepissime congruant cum G ceterisque libris, quibus inprimis niti debemus in recensendo textu, tamen in dirimendis uerbis permulta menda praebet, quod tria exempla ad oculos demonstrent:

p. 2, 5: *quis et aliter* pro *qui se taliter.*
p. 11, 8: *crudas trosint* pro *crudastros sint.*
p. 12, 3: *quinonta tam̄* pro *qui non tamen.*

Minima utilitate est codex Londiniensis Harleianus 4986 = 5294 **l**
saec. XI, (l) olim Marcelli Viconti patricii Cortonensis.[1]) Non enim solum maximam partem uocum aut formularum, quae recedunt a grammaticorum norma, mutauit, sed etiam saepissime a melioribus codicibus ita discrepat, ut eandem fere sententiam uerbis plane diuersis efferat. Longum est omnes locos enumerare, quibus hoc modo peccaverit librarius; quae sequuntur exempla satis erunt ad leuitatem, ut ita dicam, ostentandam, qua usus est in mutando textu. Primum nonnulli loci adducantur ex eius modi innumerabilibus, quibus auctorem corrigere librarius sibi uidebatur:

p. 3, 14: *potibus* pro *poculis*
p. 10, 12: *renes porcorum* pro *renes de porco*
p. 16, 11: *multum apud nos abundant* pro *satis apud nos abundant*
p. 27, 12: *crudum lac* pro *crudos lactes*
p. 28, 7; *mulgeatur* pro *mulgatur*

Ex illis locis haud minus crebris, quibus textum librarius nouauit, hos commemoravisse satis erit:

p. 2, 7: *si plus quis accipere praesumpserit* pro *si plus praesumptum fuerit*
p. 8, 10: *dico* pro *expono*

---

1) In codice Veneto Naniano, de quo infra agemus, nota legitur a Cochio medico Florentino scripta: „Rilazione d'un manoscritto medicinale del Signor Marchese Casalici Marcello Viconti Patrizio Cortonese fatta di luglio 1733. Il codice è di carta piccola della grandezza che si dice piccolo foglio scritto, comme pare, nella prima metà del secolo XIII cioè circa al 1230 — in Latino con titoli rossi e con pitture d'erbe e d'animali alquanto rozze e con due altre pitture di figure umane al principio. E di 82 carte e contiene diverse operette medicinali di varii autori.“ Liber ergo non fuit Collegii Etruscorum Cortonae (Bandini apud Rose, anecd. p. 60), „ma di uno dei promotori e più cospicui membri d'essa, il march. Marc. Viconti,“ ut litteris ad me scripsit uir doctissimus Luigi Ferrari bibliothecarius Venetus.

p. 11, 4: *manducare* pro *comedere*
p. 26, 1: *conuenit* pro *facit*

Saepe etiam uerba transponit, e. gr.

p. 2, 3: *cibi fuerint* pro *fuerint cibi*
p. 2, 5: *obseruare uoluerit* pro *uoluerint obseruare*
p. 3, 4: *aliae gentes* pro *gentes alias*
p. 3, 6: *medicinas sibi* pro *sibi medicinas*
p. 3, 8: *rationem reddent* pro *reddo rationem*
p. 3, 9: *sicut lupi manducant* pro *manducant sicut lupi*

Crebro cum uerbis uel sententiam mutat, e. gr.

p. 3, 6: *male cibis utantur* pro *male sibi senserint*
p. 12, 5: *ansera similiter* pro *ante sera tantum*

Qui loci satis erunt ad demonstrandum, quantulum ualeat hic codex ad recensionem; neque ullius momenti esset, si recte Rose eum ex A descriptum putauisset.[1]) Etsi permultis locis cum A congruit, quod primo obtutu ex annotatione critica cognosces, tamen huius generis loci probant Rosium errauisse:

p. 10, 4: *temptant* lBgPH *tepmtant* G *contempnant* A
p. 13, 12: *manducasse* GlBgH *manducat* A
p. 27, 1: *coctiua* GlBH *sic uotiua* A

Harleiani uarias lectiones in annotatione critica omisi, ubi neque cum codicis A lectionibus congruunt neque quidquam continent, quod ad recensionem usui esse possit.[2])

1) Vide stemma in editione Teubneriana.

2) In margine codicis l glossemata inueniuntur, nonnulla etiam interlinearia, quorum pleraque nihil afferunt ad interpretandum auctorem. Quae in margine adscripta sunt, magna ex parte in exemplari phototypice expresso, quo usus sum, uix legi possunt. Ea quae primae et secundae paginis adscripta sunt, manus saeculi fere XVI esse uidentur, in ceteris paginis interpolator manum antiquioris aevi imitatus est. Quae glossae quatenus memoriae dignae mihi uidebantur, in indice uerborum commemorantur. Interdum tituli adduntur capitibus rubrica scripti, ubi librarius inter capita satis spatii reliquerat; frequenter in fine uersuum additi sunt. Quos cum minoris etiam momenti esse existimassem quam tituli qui inueniuntur in G, annotationem criticam iis onerandam non putans hoc loco eos apposui:

cap. 1 De pane	cap. 16 De porcis
cap. 3 De carnib. vaccinis	cap. 20 De uacca
cap. 4 De uerbicinis (*e* ceruicinis *corr*) carn̄	cap. 22 De fassiano
	cap. 23 De gallinis
cap. 5 De agnellinis carnibus	cap. 24 De pauonibus
cap. 6 De ceruinis carnibus	cap. 25 De agrestibus auibus
cap. 7 De hinnulis et de capreolis	cap. 27 De gruibus
cap. 8 De caprunis carnibus	cap. 28 De perdicibus
cap. 9 De porcello domestico	cap. 29 De columbis
cap. 11 De bubulis	cap. 31 De fatulis
cap. 12 De uaccinis carnibus	cap. 33 De oue auetarda
cap. 13 De lepore	cap. 35 De gallinarum ouis
cap. 14 De lardo	cap. 39 De piscium genere
cap. 15 De ceruisa medone et aloxino	cap. 48 De pectenibus uel hostria

Codicem Venetum Nanianum 59 = Lat. XIV, 55 (olim Lat. VII, 18) saec. XVIII a Morellio[1]) et a Josepho Valentinelli[2]) commemoratum apographon esse codicis Harleiani iam Rose anecd. p. 60 uidit. Ipse mihi persuasi rem ita se habere conferens imaginem phototypicam paginarum 4r, 14r, 24r, 46r cum imagine cod. l. Ornatus est Nanianus annotationibus et correctionibus, quas medico Florentino Antonio Cocchi (1695—1758) deberi Morellius dicit. Quae Cocchi in pp. 1r et 2r adscripserit, uide p. IX annot. *Venet.*

Codex Bambergensis L III 8 saec. IX etsi in breuiorem textum est contractus et nonnulla capita uel singulas partes capitum omisit, tamen non solum saepe eandem quam G lectionem praebet, sed etiam interdum, ubi ceteri aut corruptelas praebent aut textum mutauerunt, sequendus uidetur contra auctoritatem codicum G et A, e. gr. **B**

p. 10, 10: *de medus* BgH *de metus* G *de medis* A
p. 12, 9: *ad uiros* BH *aduersus* AlgP *adueros* G.
p. 14, 1: *accipisse* B *accepisse* ceteri

At multa etiam librarius mutauit siue ad uetustioris aeui latinitatis normam siue ad suum ipsius arbitrium. qua necessitate adductus, ut duo exempla huius rei afferam, scripsit

p. 14, 5: *manducauerunt* pro *comederunt,*
p. 10, 12: *non oportet manducare* pro *non expedit manducare*?

Aliis locis manifestum est eum uerba uel formulas uitasse, quae a praeceptis grammaticorum discrepant; ita passim scripsit *ad horam,* ubi, quin *ad hora* tralaticium sit, dubium non est; similiter p. 12, 10 scripsit *diuersos cibos,* ubi *diuersa cibora* habet G, p. 19, 8 *minores* pro *minuti,* p. 27, 4 *de lactibus,* ubi *de lactes* scribendum esse GAg docent.

Additamenta, quae inueniuntur in B ante cap. 3 et initio cap. 22, hausta sunt e uersione Latina Pseudo-Hippocratei libri secundi *περὶ διαίτης,* quem V. Rose e codice G in anecdotis (II, p. 151) publici iuris fecit. Ceterum de locis interpolatis uide infra p. XVII in annotatione.

Codice Sangallensi 878 Rose in secunda tantum editione usus est. Scriptus est saeculo IX, post annum 849, ut apparet ex 'Excerptis ex Chronicon Horosii', quae habet p. 303—305 et ubi mentionem fieri terraemotus anni 849 manus saec. XIX in primo folio a glutinatore inserto annotauit.[3]) Tamen in fine codicis addita sunt 'quaedam saeculi 13 de grammatica'. Anthimus legitur p. 352—366. Etsi **g**

---

cap. 50 De malua. beta. et de holerum genere	cap. 64 De leguminibus
cap. 58 De melone	cap. 77 De butyro
cap. 59 De atriplici	cap. 79 De caseo
cap. 61 De allio	cap. 82 De simila
	cap. 83 De pomorum ratione

1) Codices manuscripti Latini bibliothecae Nanianae a Iacobo Morellio relati, Venetiis 1776, pp. 64—68.

2) Bibliotheca manuscripta ad S. Marci Venetiarum, Ven. 1872, pp. 126—131.

3) Lector ille libri manuscripti tamen errore quodam adductus dicit codicem anno 821 scriptum esse.

multis locis sermonem uulgarem ad normam aeui antiquioris mutauit, tamen haud raro lectiones peculiares retinuit, quae cum optimis codicibus congruunt. Quod ex his paucis exemplis colligat lector uelim:

p. 3, 1: *cabalicando* GAg *caballicando* ceteri

p. 8, 10: *ad hora* GAg *ad horam* ceteri. similiter passim.

p. 5, 14: *contenit* Gg *continet* lPHg^c *continuit* A

p. 9, 15: *saniores ab aliis* Bg *aliis* GPH *alii* Al

p. 18, 13: *de plures dies* G^1ABg *de pluribus diebus* lPH

Pari modo semper *coacolat* scribit cum melioribus, ubi *coagulat* uel *coagulatur* deteriores praebent.

Aut ipsum librarium, qui scripsit codicem g, aut scriptorem archetypi, ex quo fluxerunt gPp non accurate alterum illum librum descripsisse, eius rei haec exempla documento sint:

p. 2, 6: *potum* pro *potu* (sequitur *tantum*)
cibo pro *cibis*

p. 2, 9: *ille* pro *illa*
unum exemplo ubi *unum exemplum* ceteri omnes

p. 2, 11: *ipsa* pro *spissa*

p. 2, 13: *et* omisit
cibo pro *cibis*

p. 23, 2: *inimicum est* omisit

p. 23, 4: *ad tripices* pro *atriplices*

p. 23, 5: *uero* omisit

p. 31, 1: *male* pro *mela* (*mela* g^c)
qui pro *quae* (idem habet A)

p. 31, 3: *in arbore* omisit

p. 31, 5: *prunia* pro *pruna*
bona matura pro *bene maturata*
per se caditura. Cina pro *persica duracina*

p. 31, 6: *alia* omisit.

Concedo cod. g interdum lectiones, ut ita dicam, uulgariores praebere quam G et A; tamen, quia tam multis locis eum corruptum esse manifestum est, eum sequendum non putaui; conferas precor e. gr.

p. 1, 12: *ruptos* pro *ructus*

p. 4, 4: *utere* pro *uti*

p. 29, 2: *obtinerit* pro *obtinuerit*

Correctiones quae inueniuntur in codice g parui momenti sunt, etsi manu vetusta scriptae esse uidentur; adduntur enim aut lectiones faciliores, ut

p. 21, 10: *urinam* (litt. *m* in rasura), ubi *urinas* GAlBH.

p. 29, 1: *modicum* erasis nonnullis litteris, ubi *cata modicum* GA, aut menda primae manus in aperto sunt, ut *supimos* p. 28, 10.

Codicem g contuli Basileam officiose missum et iterum in bibliotheca Sangallensi.

Codicem Parisinum olim S. Victor. saec. XI cum g ex fonte communi fluxisse tam apertum est, ut propinquitatis exempla hoc loco afferre superuacaneum sit; eos tantum locos commemorare operae pretium est, quos g et P soli aut exhibent aut omiserunt: P

g et P soli habent: p. 1, 4—6 (una cum p)
p. 18, 4—5
p. 25, 14 sq.
g et P soli omiserunt p. 14, 10—15, 3.

Parisinum autem non esse apographon Sangallensis ex eo apparet, quod uerba *et bene digeritur — debet coqui* p. 9, 2 sq. in g omissa P exhibet. Item lacuna quam supra commemorauimus et quam communem esse diximus codicibus g et P, in g iam p. 14, 7 incipit. item p. 12, 1 *quia — adiecta* habet P, omisit g, nec non *et non — habere* p. 12, 13.

De P non aliter iudicandum esse atque de l nunc paucis uerbis demonstrandum est; parum enim saepe librarius secutus est librum quem describebat; multis locis aliis uerbis eandem sententiam efferre conatus est, haud raro aliquid addidit aut deprompsit, e. gr.

p. 13, 9: *quedam uero que nascuntur in agrestibus locis et elleborum herbam, quam latini dicunt uaratrum, manducant* pro *in campis uero qui nascuntur, elleborum herbam, quae Latine dicitur sitri, ipsud manducant.*

p. 14, 3: . . . *ut partim facit extra naturam. studens ergo* . . . pro . . . *ut partem facies constringat. istud et ego* . . .

p. 20, 4: *pectines optimam carnem habent et elixi et assati* pro *pectenis optima caro elixi facti et assati*

p. 22, 6: *cucurbitae uero raptae non manducentur* pro *cocurbitas uero rariter praesumendas*

p. 23, 5: *rafani* pro *radices*

p. 24, 2: *frumentum* pro *fenea*

p. 24, 3: *coclear capit* pro *cocliar plenum*

p. 29, 4 sqq: *oxiragra* . . . *auctores dicunt sanis hominibus esse apta, quia non coagulat in uentre conuenit ut mel misceatur aut oleum gremiale quantum decet* pro *oxygala* . . . *auctores dicunt sanis hominibus esse aptum, quia non coacolat in uentre; tamen et ipsud aut mel admixtum aut, quando fuerit, oleum gremialem.*

Simili modo omnia fere, quae sermonis uulgarioris sunt, immutauit:

p. 11, 8: *paene sit crudus* pro *crudastros sint*

p. 20, 11 et 29, 14 sq.: *altero ueneno opus non habet* pro *alterum uenenum opus non habet.*

p. 27, 7 sq.: *in carbonibus* . . . *coquat* . . . *non in eramine* pro *in carbones* . . . *coquat* . . . *nam non in aeramen*

p. 27, 11: *statim* pro *contra*

p. 28, 13 sq.: *peius est* pro *peius exterminat*

p. 28, 14: *mellis modicum* pro *mel modicum*

Tali modo innumerabilibus locis quae tralaticia sunt, immutauit. Quae cum ita sint, uarias lectiones codicis P, quae in nullo alio codice inueniuntur aut in P et l solis[1]), in annotatione critica neglegendas iudicaui; iis ergo locis, ubi lectio huius libri non affertur, quae praebet nullius momenti putanda sunt.

p De codice Pragensi XIV A 12 saec. XIV/XV Rose egit in anecdotis p. 61. cum nihil afferre uideatur ad recensionem, ut e lectionibus elucet, quas Rose in sua annotatione apposuit, eum inspiciendum non putaui. tamen ex editionibus Rosii nonnullas uarias lectiones transscripsi, praecipue initio, ut perspicere posset lector, quantulae utilitatis esset.

H De codice Parisino 6842 B saec. X ab Alfredo Holder inuento breuiter egit W. Baehrens, Berliner philologische Wochenschrift 46 (1926) col. 848 sqq., qui littera C eum designat. Iam in meis annotationibus hunc librum littera H designaueram in honorem et memoriam Holderi, neque id mutandum esse putaui. Qui codex etsi non multum noui praebet, tamen magni pretii est iis locis, quibus lectiones aliorum codicum confirmat. Sed huius quoque librarius haud raro normam grammaticorum sequendam sibi existimauit, e. gr.
p. 1, 12: *in caput ascendit* pro *in capite ascendit*
p. 2, 12: *tenet* pro *tenit*
p. 3, 4: *aliae* pro *alias*
p. 23, 5: *flegmaticis* pro *fleumaticis*
p. 23, 6: *ad horam* pro *ad hora*
p. 24, 8: *alium cibum* pro *alio cibo*
p. 26, 9: *incipit frangere grana* pro *incipit frangere granum*

Parum diligens fuit librarius in addendo exitu *-ur*; scripsit enim e. gr.
p. 22, 16: *manducet* pro *manducetur*
p. 23, 1: *comedat* pro *comedantur*
p. 26, 2: *coquat* pro *coquatur*
p. 26, 4: *mittat* pro *mittantur*
p. 26, 9: *produret* pro *praeduretur*

N Codex Parisinus nouv. acq. 229 saec. XI/XII[2]) (N) Anthimi praefationem et caput primum continet p. 233—235. Plerumque easdem praebet lectiones quas H. Describitur a Leop. Delisle, Mélanges de paléographie et de bibliographie (1880) p. 455 sqq., commemoratur ab eodem Inventaire des manuscrits latins et français ajoutés aux fonds des nouvelles acquisitions pendant les années 1875—1891, partie II p. 401.

---

1) Cum et P et l latinitatem 'meliorem' restituere studeant, saepe congruunt, quamvis classium diuersarum sint.

2) Non ante 1050 codicem esse scriptum Rudolfus Thommen professor Basiliensis e calami ductu colligit, ut per litteras ad me scripsit E. Hoffmann-Krayer.

Codex Berolinensis lat. qu. 198 saec. XII continet excerpta, quae ad recensionem nullo modo usui esse possunt. Quod ut perspici possit, haec satis erit attulisse: *Polenta nutrit. calefacta siccat. — Lac nutrit optime. — uaccinum minus. sic sanus lac uoluerit, calidum bibe. — sal mittatur modicum et supinum statim iacē.* *Berol.*

Codicum AlBPHN imaginibus phototypice expressis usus sum, quarum Institutum Puschmannianum Lipsiense mihi officiosissime permisit potestatem. Codicis Berolinensis specimina Guilelmus Löw, tunc studiosus theologiae, nunc uerbi diuini minister in uico Heluetiae qui appellatur Umiken, meum in usum descripsit.

Iam de ratione orthographica, quam secuti sunt librarii pauca dicenda et pauca e permultis excerpta exempla afferenda sunt. Omnes enim codices confundunt:

ae et *e*:

p. 21, 8: *bone* GBAlH *bonae* gP
clixe GBAl *elexe* g *elixae* P
p. 23, 11: *cepae* GABgP *cepe* l *caepe* H
p. 12, 14: *congruae* GBgP *congrue* AlH
p. 9, 16 sq.: *uulnera quae* GlBgPH *uulneraque* A
p. 11, 9: *salae* g *sale* ceteri
p. 28, 3: *aepar* G *epar* ceteri

e et *i*, praecipue *es* et *-is* in exitu uerborum, e. gr.:

p. 5, 16: *carnis* GA *carnes* lBgPH
p. 6, 8: *carnis* A *carnes* GlBgPH
p. 20, 6: *recentis* GA *recentes* lBPH om g.
p. 22, 14: *melonis* GAg *melones* lBH *mellones* P

Quae confusio etsi frequentissima occurrit in G et A, tamen etiam in reliquis non raro inuenitur exceptis l et P. — Difficilius est iudicare de iis uocibus, quae *e* uel *i* ante uocalem continent:

(h)ostria GAlBgP *ostrea* H p. 20, 7
ostria GAlBP *ostrea* gH p. 20, 11
(h)ostria GAH *ostrea* g om lBP p. 20, 3
capriolus GAgPH *capreolus* l p. 6, 11.

at

tinea GlBgPH *tinia* A p. 9, 14
caseum GAlBgPH p. 29, 14 et p. 30, 2
caseum GAlBPH *casium* g p. 29, 8 et p. 29, 11
glarea GgH *glaria* AlBP p. 19, 3.

His locis omnibus secutus sum scripturam meliorum codicum, at cf. *preteria* Gp pro *praeterea* p. 32, 5.

Minus etiam facile est iudicare de uerbis, quae in interioribus syllabis *e* aut *i* continent, e. gr.

carica G^2lgPH *careca* G^1B *carroga* A p. 33, 1
pinguedo GlPH *pinguido* ABg p. 29, 15

pinguedine GAlP *(-do)* H *pinguidine* Bg p. 30, 1
pinguedo lgP *pinguido* GA *-idinem* B *-itudo* H p. 8, 2
splenetici Glg^{c}PH *splenitici* ABg p. 29, 9.

De scripturis uocum 'dysentericus' et 'dysenteria' ex hoc conspectu iudicet lector:

	G	A	l	B	g	P	H
p. 14, 15	*desent-*	*desint-*	*dissent-*	*disint-*	om.	om.	*desint-*
p. 24, 5	*desent-*	*desint-*	*dissent-*	om.	*disint-*	*dissent-*	*dissint-*
p. 26, 2	*desent-*	*disint-*	*dissint-*	*disint-*	*desint-*	*dissent-*	*dissint-*
p. 26, 8	*desent-*	*desint-*	*dissint-*	*disint-*	*desint-*	*dissent-*	*dissint-*
p. 27, 4	*desent-*	*desint-*	*desent-*	*disint-*	*desint-*	*dissent-*	*dissint-*
p. 30, 6	*desent-*	*desint-*	*dissent-*	*disent-*	*desint-*	*dissent-*	*dissint-*
p. 30, 10	*desent-*	*desint-*	*dissint-*	*disint-*	*desint-*	*dissent-*	*dissint-*
p. 8, 3		[*desent*]					
p. 8, 7		[*dissent-*]	[*dissent-*]				

Talibus locis ubi G aut A semper eodem modo scripserunt, eos secutus sum; *desenteria, desentericus* ergo scripsi cum G; ubi autem neque G neque A constanti utuntur ratione scribendi, antiquioris latinitatis formas in textum recepi, de genuina scriptura nihil constare existimans. Tamen ubi *e* uel *i* e mendo librariorum ortum esse perspicuum est, ut *cridat* B pro *credat* p. 30, 2, in annotatione critica commemorandum non existimaui.

y et *i:* Legitur *y* in uocibus latinis *cybos* H p. 2, 2. *cybus* g p. 17, 2. *cyborum* g p. 22, 5; in uocibus Graecis *gyro* g solus p. 20, 10, *oxygala* GA p. 29, 4 (quos secutus sum). At in uoce *oximelli* omnes codices *-i-* praebent (p. 7, 10).

o et *u*, praecipue *-os* et *-us:* e. gr.
p. 1, 11 sq.: *carbunculus* G pro *carbunculos*
p. 8, 13: *malus* GH pro *malos*
p. 15, 6: *pullus* GABg pro *pullos*

Sed aliis quoque in syllabis non raro confunduntur, e. gr. *oleom* G p. 14, 17, *pruduxit* G p. 14, 6, *pectura* A p. 12, 6, *expuno* A p. 8, 10.

b pro *u* aut *u* pro *b* saepius inueniuntur, e. gr. *iubat* semper fere *g*, ubi *iuuat* g^{c}. *Iubat* praeterea legitur in G et A p. 9, 1 et p. 28, 11, in A p. 17, 11; *grabant* in B p. 32, 3. In annotatione critica eas lectiones commemoraui, ubi *u* pro *b* positum est *(faua, hiuernus)*, scriptiones inuersas autem, quae in singulis tantum codicibus occurrunt, librariis deberi existimaui.

Littera *h* et additur et omittitur interdum; omittitur praecipue in G, e. gr. *abent* p. 3, 9, *abuerit* p. 28, 13. *erbam* habent GA p. 13, 9 et

p. 15, 9. Additur *h* in *hostria* Gl *hostrea* H *ostria(e)* ABgP p. 20, 7, *habundant* AlBg p. 16, 12, *hurinas* H p. 21, 8. Omnes huiusmodi scripturas annotandas non putaui, neque magis uarietates orthographicas, quales sunt *stomachus* AlBg *sthomachus* H p. 2, 8 uel *nichil* lP p. 9, 3 uel *michi* l p. 3, 4.

-ci et *-ti-* promiscue inueniuntur in libris manuscriptis excepto codice G, qui *-ti-* praefert etiam iis locis, ubi *-ci-* erat scribendum. Conferas uelim:

racionem A p. 26, 7. — *racio* l *racionem* N p. 1, 6. — *racio* l p. 2, 11. *uiciosus* A p. 23, 10. — *diucius* H p. 6, 3. — *deliciis* lPHN *diliciis* g *dilitiis* GA p. 3, 13. — *lutius* G *lucius* AlBgH *luscius* P p. 18, 8.

Codices G et B ex communi archetypo fluxisse demonstrant loci interpolati p. 4, 10—12. p. 4, 13—15. p. 7, 16. p. 26, 12—16[1]). Item in G et B desunt eadem p. 4, 8 sq.

Codicem p etsi loci p. 4, 13—15. p. 4, 16 annot. p. 11, 10 annot. p. 25, 12 annot. p. 26, 12 sq. ei cum B communes sunt, tamen codicibus g et P propinquum esse ex eo sequitur, quod Titus Imperator in praescriptione trium horum librorum nominatur. Verba *qualiter omnes cibos comedantur — anxietatem humani corporis* p. 1, 4—6 partim g et p, partim gPp soli exhibent, p. 4, 8 sq. *et ubi — digeruntur*, quod omiserunt GB, p habet una cum reliquis. Praeterea p saepissime easdem lectiones praebet quas g, interdum ubi P ab iis discrepat; cuius rei pauci loci exemplo sint:

p. 1, 11: *et uentrem faciunt dolere* gp *et uentri(s) faciunt* GAlBPHN
p. 4, 16: *setinga* gp *sodinga* G *saudinga* A *seodinga* P *sodingas* H
p. 20, 5 sq.: *sed tamen et ipsi, si recentes fuerint* omiserunt gp soli.

Bene ergo V. Rose iudicauit librarium duo exemplaria contulisse, quorum alterum Sangallensi g propinquius fuerit quam P, alterum eundem fere textum habuerit quem B.

De A et l egimus p. X sq., de g et P p. XIII sq.

Et in H et in N praescriptio, quae nomen auctoris et regis Theoderici continet, deest; ex annotatione critica uideri potest magnum numerum lectionum eorum communes esse; qui ergo arte coniuncti sunt. Codicem H autem a reliquis seiunctum esse apparet et e loco interpolato p. 30, 13 et ex eo, quod desunt in H solo:


non opus — antidotus p. 9, 9—11
et — maxime p. 22, 14.

1) Loci interpolati, qui codicum G et B communes sunt, leguntur etiam in opusculo, quod V. Rose anecd. II p. 131 sqq. e nostro codico G publici iuris fecit. De hoc libello conferas uelim anecd. II p. 105 sqq. — Congruunt enim:
Anth. p. 4, 10—12 cum anecd. II p. 134, 11—14. cf. anecd. II p. 135, 16 sq.
Anth. p. 4, 13—15 cum anecd. II p. 133, 1—5. cf. anecd. II p. 135, 17.
Anth. p. 26, 12 sq. cum anecd. II p. 136, 6—8.
Anth. p. 26, 14—16 cum anecd. II p. 135, 24—27.

si tamen — *bibatur* p. 28, 4—8
dulce — *manducentur* p. 30, 12

Quod p. 23, 5 sq. *quod tamen* — *maturent* in G et in H desunt, casui fortasse debetur.

Sunt ergo classes quattuor, quarum stemma in hunc fere modum delineari potest:



Capitum ordo uariat in libris manuscriptis; omnes excepto G caput 69 post 63 habent. Cum autem B, ut supra demonstrauimus, ex eodem archetypo fluxerit atque G, apertum est librarium Sangallensem ordinem mutauisse. A et l eodem modo capita disponunt, item g et P, caput 67 ante 74 posuerunt AlgPH, post 66 GBp. Librarii cum intellegerent ordinem turbatum esse, alius alio modo melius disponere conatus esse uidetur, ut ex conspectu qui sequitur apparet:

G:	64	65	66	67	(68 = 66)	69	70	71	72	73	74	75	76	77
Al:	69	64	65	66	70	71	75	67	74	76	77			
B:	69	64	65	66	67	72	73	74	70	71	75	76	77	
p:	69	64	65	66	67	72	73	70	71	74	75	76	77	
gP:	69	69a	64	65	66	70	71	75	67	74	76	77		
H:	69	64	65	66	70	71	75	76	67	74	77			

In ea quoque re secutus sum codicem G, non quia mihi persuasum est eum optime disposuisse capita, sed quod ordo dubius erit quocumque modo restitues et ne inter numeros a Valentino Rose appositos et nostros discrepantia oreretur.

Ratio denique mihi reddenda est, quomodo annotationem criticam disposuerim. Siglas codicum melioris fidei dignorum primas scripsi; tamen A et l coniungendos putaui, neque minus g et P. Hic ergo erit ordo siglarum et lectionum uariarum: GAlBgPpHN. Codicum

GABgHN omnes uarias lectiones apposui exceptis iis, quae ut menda scripturae nullius momenti esse uidebantur; quomodo in commemorandis lectionibus librorum l et P usus sim, supra exposui p. X et XIV.

Gratias ago inprimis uiro docto Carolo Sudhoff, qui hanc editionem curandam mihi commisit neque, quamuis per nonnullos annos compluribus de causis impedirer ne in hac re proficerem, de mea bona uoluntate unquam dubitauit, et magistro meo Max Niedermann, qui in seminario grammatico Basiliensi anno 1910 de Anthimo tractans primam mihi dedit instigationem ad hanc editionem conficiendam et postea non solum consiliis suis, sed etiam amplissima sua doctrina saepe liberalissime mihi adfuit, necnon uiro docto Carolo Hoppe, qui in nonnullis difficilibus locis interpretandis pretiosissimam mihi opem tulit. Codicum AlBPHN Venet. imaginum phototypicarum officiosissime copia mihi facta est ab Instituto Puschmanniano Lipsiensi. Magna liberalitate Institutum quod uocatur Notgemeinschaft der deutschen Wissenschaft, rogante u. d. Sigerist subsidiis suis effecit, ut haec editio typis posset exprimi. Denique hoc opusculum nondum prodire posset, nisi magistratus, qui praesunt scholis urbis patriae, officiosissime muneris officiis per tres menses me liberassent. Non praetereundi sunt denique amicus Christianus Döttling philos. doctor et Ernestus Schmid philos. stud., qui in plagulis legendis operam strenuam mihi praestiterunt neque discipulus Wolfgang Wiesner adulescens, qui in componendo indice me adiuuit.

EPISTVLA ANTHIMI *GAlBgPp(H)*

uiri inlustris comitis et legatarii ad gloriosissimum Theodoricum regem Francorum [de obseruationem ciborum].

[Qualiter omnes cibos comedantur, ut bene digerantur et sanita- *gPp*
tem praestare debeant, nam non infirmitatem stomachi nec anxietatem *gp*
humani corporis,] ratio obseruationis uestrae pietatis secundum prae- *GAlBgPpHN*
cepta auctorum medicinalium ut potui uobis exponere profutura generaliter procuraui, quoniam prima sanitas hominum in cibis congruis constat, id est, si bene adhibiti fuerint, bonam digestionem corporis faciunt; si autem non bene fuerint cocti, grauitatem stomacho et uentri faciunt; etiam et crudos humores generant et acidiuas, carbunculos et ructus grauissimos faciunt. exinde etiam fumus in capite ascendit, unde escotomaticis et caligines graues fieri solent; etiam et

1 epistula *B* epšl *G* epl̄ *A* eplā *lP* epistola *g* dieta *H* Anthimi *A* Antemi *G* anthimii *l* Antimi *B* Antimi medici *gP* Plinii Secundi *p om H* 2 uiri *AlBgP* uir *G om pH* inlus̄ *G* N̄L *A* inlustri *Bg* illustris *P om pH* comitis *l* com̄; *G* cōmt *A om BgPpH* et ligatarii *GA om lBgPpH* ad *GAlBgPp om H* gloriosissimum *G* gloriosm̄i *A om BgPpH* Theudoricum regem Francorum *G* (Franchorum) *B* Teoderico rege Francorum *A* regem Francorum Theodericum *l* Titum imperatorem et ad Teodericum regem Francorum *g* Titum imperatorem uel ad Theoticum regem Francorum *P* Tytum imperatorum *p om H* 3 de obseruationem ciborum *A* de obseruatione ciborum *l om GBgPpH* 4 qualiter . . . corporis *gp om GAlBH* qualiter . . . debeant *P* 6 ratio *GABgH* racio *l* rationem *P* racionem *N qui hinc incipit* pietatis *GAlBgPH* pietati *NRo* 7 auctorum *GABgPH* doctorum *N* medicinalium *ABgPHN* medicinalem *G* 8 procuraui *GAlBgP* prouocaui *HN* quoniam *GAlBgPH om N* cibis *GlBgPHN* cuius *A* congruis *GAlBPHN* congrue *gp* 9 adhibiti *AlBgPHN* adhibeti *G* digestionem *GlBgPHN* degessionem *A* corporis *GlBgH* corpori *ApN om P* 10 faciunt *GAlPHN* faciant *B* facient *gp* fuerint cocti *GAlBgPH* cocti fuerint *N* stomacho *lBP* aesthomacho *G* stomaco *A* stomachum *g* sthomachi *H* stomachi *N* 11 et uentri faciunt *GlP* in et uentri faciunt *A* et uentrem faciunt dolere *gp* et uentris faciunt *BHN* etiam et . . . grauissimos faciunt *GAlBgPH om N* etiam et *GAgPH* etiam *B* et *l* crudos *lBgP* crudus *G* crudis *A* crudi *H* acidiuas et *H* acedibas *G* accidebas *A* accidiuas *l om B* acediuas *g* acidos *P* acetiuos *p* 12 ructus *GlBP* fructus *A* ruptos *g* gructus *H* grauissimos *H* grauissimus *G* grauis *A* graues *lBgP* fumus *GAlBgP* fumi *HN* capite *GABgPN* capud *lp* caput *H* 13 ascendit *GAlgP* ascendet *B* nascuntur *HN* unde *GAlBgPp* inde *HN* escotomaticis] escotomaticus *G* et stomachus *Ag* et stomachus leditur *l* et scotomus *B* scotomatici *P om p* scotomus *H* scotomiae *N* et *GlHN* uel *ABgP* caligines *GAlBHN* caligines oculorum *gPp* graues *GAlBgPH om N* etiam *GAlBPHN* (*post* uentri) *p* ut etiam *g om l*

GAlBgPpHN uentris corruptilla ex ipsa indigerie fiet, aut certe desursum per ore uomitus fit, quando stomachus cibos crudos conficere non potuerit. si autem bene praeparati fuerint cibi, digestio bona et dulcis fiet, et humores boni nutriuntur. in hoc etiam prima sanitas constat ita, ut, qui se taliter uoluerint obseruare, aliis medicaminibus non indigebunt.

Similiter et de potu tantum oportet adhibere, quantum cum cibis concordat. ceterum si plus praesumptum fuerit et maxime frigido, *GAlgPpHN* stomachus ipse infrigidatus nihil praeualet, unde etiam corruptilla nascitur et illa, quae superius diximus. unum tamen exemplum suggerimus: quomodo in fabrica domus parietis si calcem et aquam quis tantum temperauerit, quantum ratio poscit, ut spissa sit ipsa mixtio, proficit in fabrica et tenit, si autem satis aqua missa fuerit, nihil proficit, sic et in cibis uel potu ratio debet cognosci. ergo et, sicut supra diximus, prima sanitas ex cibis bene coctis et bene digestis constat.

Nam si quis dicat: 'homo in expeditione positus uel iter agens longum quomodo potest se taliter obseruare?' et ego suggero: ubi focus est uel uacat, quae praedicta sunt, fieri debent; nam si necessitas exierit carnes uel alia crudiora manducare, non ad nimietatem, sed parcius. sed quid plus quam quod ab antiquis dictum est:

1 corruptilla *G* corruptela *AlgPHN* corruptella *B* ex ipsa *GAlBPHN* expar *g* indigerie *lHN* indieriae *G* indigeria *A* indigestione *BP* indigeries *g* indigeriis *g*[c] fiet *GH* fiat *A* fit *lBgPp om N* desursum *GAgPHN* sursum *lB* ore *GABg* os *lP* hora *H* ora *N* 2 uomitus *GAlPHN* uomitum *B* uomitos *g* fit *GAlBPHN om gN* quando *GAlBHN* aliquando *gP* cibos crudos *AlBPN* cibus crudus *G* cibis crudis *g* cybos crudos *H* 3 digestio *GlBgPN* degestio *AH* fiet *GAlHN* fit *BgP* 4 nutriuntur *GlBgPHN* in utri untur *A* etiam *GAlBgPH* itaque *N* constat ita ut *GAlPHN* constat *B* constituta *gp* 5 uoluerint *GABHN* uoluerit *lgPp* indigebunt *GABg* indigebit *lP* indigeat *p* indigeant *HN* 6 de potu *AlHN* de puto *G* de poto *B* potum *gP* oportet *AlBgPHN* oportit *G* adhibere *GABgPH* adhiberi *lN* cum *GBgPHN om Al* cibis *GBPN* ciuis *A* cibus *l* cibo *g* cybis *H* 7 concordat *GAl* concordet *BgPHN* ceterum *GBgPHN* iterum *Al* praesumptum *ABgPHN* praesumtum *G* frigido *GHN* frigidus *A* frigidum *BgP* 8 stomachus *ABP* stomacho *GN* stomachum *g* sthomacho *H* infrigidatus *lgPHN* infrigedatus *G* infridatus *A* infrigdatus *B* *ab* unde *reliquam partem praefationis om B* corruptilla *G* corruptela *AlgPHN* 9 illa *GAPHN* ille *g* exemplum *GAlPHN* exemplo *g* 10 quis *GAlgPH* qui *N* 11 temperauerit *AlgPHN* temperauit *G* poscit *GlgPHN* posuit *A* spissa *GAHN* ipsa *g* 12 proficit *AlgPHN* profecit *G* in fabrica et *GgPHN* in fabricae *A* et fabricę *l* tenit *G* terit *A* tenet *lgPH* tenetur *N* missa *GAlgPH* mixta *N* 13 et[1] *GAlHN om gP* cibis *GlHN* cibos *A* cibo *gP* cognosci *APHN* cognos. *G* agnosci *l* cognoscere *g* 14 sanitas *GAlHN* sanitas hominum *gP* ex *GAlHN* in *gP* digestis *GlgPHN* degestis *A* 16 expeditione *GAHN* expedicione *l* spectione *g* expositione *P* 17 taliter *GgPHN* tales *A* ubi *GAlPH* uel ubi *gp* ergo ubi *N* 18 est *GAlHN om g* fuerit *P* uacat *GgPHN* aqua *Al* fieri *GAHN* obseruare *l om g* obseruari *P* 19 exierit *G* exiegerit *A* exegerit *lPHN* exigerit *g* carnes *lgPH* carnis *GA om N* manducare *GAlHN* comedere *gP* 20 parcius] partius *GAgPH* parcius utatur *N* quid *gPHN* quis *G* qui is *A* q̇ *l* quam quod *N* quam *G* quod *AlH om gPp Baehrens B. ph. W. 46, 851* ab *AlgPHN* ad *G*

omnia nimia nocent. nam et de potu si quis cabalicando et in labore festinando amplius potum praesumpserit, commouendo se in equo uexabitur et in uentre peiora nascuntur quam de cibis. *GAlgPpHN*

Sed forte dicitur mihi: 'quare gentes alias crudiores carnes manducant et sanguinolentas et sani sunt?' et licet nec illi omnino sani sunt, quia ipsi sibi medicinas faciunt — cum male sibi senserint, ustulant se foco in stomacho et uentre et per alia loca, quomodo caballi furiosi ustulantur — tamen et inde reddo rationem: illi unum cibum manducant sicut lupi, nam non multos, quia non habent nisi carnes et lactes, et ipsud quod habuerint, manducant, et uidentur esse sani de paucitate ciborum. nam de potu est, quando habent, est quando longo tempore non habent, et paucitas ipsa uidetur ipsis sanitatem praestare. nam nos, qui diuersis cibis et diuersis deliciis et diuersis poculis nos agimus, necesse habemus nos gubernare taliter, ut non pro nimietate adgrauemur, sed magis parcius agentes sanitatem obtineamus. si quis uero delectatus fuerit cibum qualemcumque manducare, sed inprimo bene factum cibum praesumat, et de aliis rebus parcius ita, ut lucret hoc, quod primum accepit et bene digerat.

